



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 33. Cardinales Conclave ingressi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1559.  
Francia Ludovici XII. Regis Filiam, quæ spuria hæreticorum reformationi plurimum favebat: ex suo autem connubio plures reliquit Filios, atque inter alios Alphonsum Ducis successorem, & Ludovicum Cardinalem præter tres filias. Eodem hoc anno die duodecima Februarii Elector Palatinus, Otho Henricus de Bavaria Ruperti Filius, & Philippi Nepos absque prole decessit, qui olim Friderico II. illius Patruo subrogatus successorem habuit Fridericum III. qui nonnisi admodum remota generis serie ipsum attingebat; Rupertus enim jamjam Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo vivis ereptus erat. Denique Franciscus Otho Luneburgensis Dux die vigesima nona Aprilis tertio Mense post nuptias cum Magdalena Joachimi Marchionis Brandenburgici Filia initas mortalitatem exiit.

## §. XXXIII.

*Cardinales Conclave ingressi.*

*Pallav. n. 2.*  
*Et 3.*  
*Thuan. l. 23.*  
*Rayn. hoc*  
*anno n. 37.*  
Cum interea Romana urbs comperto Pauli IV. obitu tumultibus ferveret, Cardinales sacra comitia nonnisi die quinta Septembris inchoare poterant: postea vero inter ceteros Purpuratos, qui conclave ingrediebantur, etiam Moronus Cardinalis numerabatur, qui quidem

Sæcul. XVI.

A.C. 1559.

dem mortuo Pontifice adhucdum in custodia detinebatur, a sacro tamen Collegio libertati restitutus fuit eodem ferme momento, quo Paulus IV. animam exhalabat. Aderat quoque Caraffa Cardinalis, qui postremis Pontificatus, quem Paulus postea mortuus tenebat, diebus Romam revocabatur: dum igitur omnes Cardinales in electionis loco convenerant, articuli juramento firmandi concipiebantur, eo fine, ut Pontifex proxime eligendus ad meliorem normam regimen reduceret, cum illud ob immodicam Prædecessoris severitatem penitus fuisset turbatum. Inferiebantur huic juramento præcipue duo articuli, quorum primo Pontifex Ferdinandum tanquam Cæsarem venerari teneretur: timebant enim omnes, ne reliqua Germaniæ pars a Sedis Apostolicæ obsequio defectura esset, si diutius cum Imperatore dissidia foverentur: porro vi alterius articuli Papa concilium restaurare jubebatur tanquam unicum remedium, quo hæresibus Gallias, & Flandriam perturbantibus obfisti posset: igitur hisce articulis jurejurando firmatis ad summi Pontificis electionem procedebatur: verum ferventibus Cardinalium contentionibus conclave diutius protrahebatur, quam præsentis temporis necessitas exigebat; plures

Sæcul XVI  
A.C. 1559.

plures enim erant factiones, quarum quævis alteri prævalere gestiebat, quinimo inter suffragantes reperiebantur non pauci, qui vel ejusmodi Purpuratis, quos ab aliis nunquam eligendos præviderant, vel illis sua contulerunt suffragia, quos duntaxat solo unius, alteriusve suffragii honore dignari intendebant, quos inter postremos erat Cardinalis Cueva natione Hispanus.

§, XXXIV.

*Cueva Cardinalis casu fortuito vix non in Pontificem electus.*

*Pallav. l. 24.*  
*c. 10. n. 3.*

Ceterum Bartholomæus Cueva Cardinalis Vir erat morum comitate insignis, cumque erga omnes admodum officiosus esset, facile etiam ceterorum affectum, ac venerationem sibi conciliabat; eæ tamen dotes, quæ in supremo Ecclesiæ Pastore necessariae sunt, ipsi deesse videbantur: nihilominus ad hanc dignitatem evehi desiderabat, hancque in rem plures Cardinales, qui tam Cæsaris, quam Franciæ Regis partibus adhærebant, per suum conclavis contubernalem nomine Ferdinandum sollicitabat, quatenus sua ei suffragia conferrent, eo duntaxat effectu, ut ipsi, quo numero apud Cardinales fuisset,